

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Elemosina ak  
cum fonte primo

Elemosina

amica Dei consistit et semper ei propinqua est.  
Pro quibuscumque uoluerit, facile munus gratie impetrat.

Vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem.

Huic cum multa fiducia porte caeli aperiuntur,  
et ueluti regina intrante nullus ianitorum, nullus custodum qui assistunt audet dicere:  
Que tu es uel unde? Sed omnes eam e regione suscipiunt.

Virgo est habens alas aureas, circumspecta per omnia uenustateque succincta,  
uultum habens candidum atque mansuetum.

Pennata est et leuis et semper ante solium regale consistit.

Crisostomus super Mattheum sermone IX.

Eleemosyna

quippe artifex magna consistit, et auxiliatrix eorum qui istam fiduciam faciunt:

amica namque Dei consistit, et semper ei propinqua est:

pro quibuscumque uoluerit, facile gratiae munus impetrat,

tantum si a nobis non laedatur, si nullam patiatur injuriam;

injuriam autem patitur, cum ex rapinis eam volumus operari:

si uero fuerit munda, magnam praestat confidentiam tribuentibus eam,

intervenit etiam pro delinquentibus: tanta est ejus uirtus tantaque potentia.

Sed etiam vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem,

mortificat uermem, expellit stridorem dentium.

Huic cum multa fiducia portae caeli aperiuntur,

et ueluti regina intrante, nullus janitorum, nullus custodum qui portis assistunt, audet dicere:

Quae tu es, uel unde? sed omnes eam e regione suscipiunt.

Sic etiam misericordia; regina namque est, uere regina, similes faciens homines Deo.

*Estote, inquit, misericordes, sicut et Pater uester caelestis.*

Pennata namque est et ualde leuis, habens alas aureas et uolatum,

quae angelis magnam gratiam dilectionis apportet: scriptum est enim:

*Pennae tuae, sicut pennae columbae deargentatae, et collum ejus in fulgore auri.*

Sicut columba quaedam nitens, et aurea uenustate decorata,

mites et affabiles oculos habens, per cuncta peruolat:

sic et misericordia nitet magno decore festiva, nihil est illis oculis melius.

Pulcher quidem est pavo, sed in illius comparatione deformis apparet:

ita enim haec avis pulchra est et mirabilis,

ab ipso initio per tempora cuncta perdurans, et multa diuina gloria decoratur.

Virgo est habens alas aureas, circumspecta per omnia uenusteque succincta,

uultum habens candidum atque mansuetum;

pennata est et leuis, et semper ante solium regale consistit.

Iohannes Chrysostomus, *In epistolam ad Hebraeos homiliae Mutiano scholastico interprete*,  
32 (PG 63, col.441/442).